

Franckesche Stiftungen zu Halle

Rector Academiae Lipsiensis Salutifera Jesu Christi Genesisia In Templo Paulino Devote Celebranda Intimat

Fleischer, Christoph

[Leipzig], [1708?]

VD18 13541072

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-200579](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-200579)



1. Progr. Cipp. natal. it. len.
2. Progr. Lipp. pulch. it. len. it. Erfurt.
3. — — Pentec. it. Witt.
4. Hardthura Helmst.
5. Hebreæ de æra nativ. Christi
6. Bel Hist. lingua Ungar.
7. Reimnitz Postscriptum



61. C. 2.

61 C 2

2.
3

RECTOR
ACADEMIÆ LIPSIENSIS
SALUTIFERA
JESU CHRISTI GENESIA
IN
TEMPLO PAULINO
DEVOTE CELEBRANDA
INTIMAT.

Summe Reverendo. Dn. J. ANTONIO PP.

24 29
24 30
24 31



autore D. M. Mario h. t. Dec.

 Nter bona & commoda, quæ per incarnationem Filii Dei in homines derivata sunt, est ille quoque primarius fructus, & a Deo præcipue spectatus finis ac scopus natiuitatis & conceptionis Christi, quem Evangelica & Apostolica scripta declarant, *spiritualis, puta, nostri natiuitas, in regeneratione conspicua, & inde resultans filiorum Dei, & cælestis adoptionis honor ac dignitas, quam jus æternæ*

capiendæ vitæ, tanquam hæreditatis adeunda, consequitur. Hujus, Christi meritis parti, ac hominibus a Deo promissi præmii meminit in ipso statim Evangelicæ narrationis exordio Joannes Evangelista & Apostolus α): *quorūque, inquit, receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomen ejus*: quos & ex Deo natos esse dicit. Idem etiam in prima Epistola β): *videte, ait, qualem charitatem dedit nobis pater, ut filii Dei nominemur & simus*. Apostolus quoque Paulus immensum illud beneficium & fructum singularem misit a Patre unigeniti Dei filii persæpe commendat, ut cum Galatas irerum *se parturire* scribit γ), *donec Christus in ipsis formetur*. Cum etiam Christianos accepisse ait δ) *Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamemus Abba pater*. Ipsum enim Spiritum Sanctum testimonium reddere spiritui nostro, quod *simus filii Dei*. Si autem filii, etiam hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Et alibi ε) *mississe Deum, asserit, Spiritum suum, ut adoptionem filiorum reciperemus*: idque per fidem: omnes enim filii Dei sumus per fidem, quæ est in Christo I. I. I. ζ). Ita etiam Christum habitare (h. e. concipi, nasci, pati, mori, vivere) dicit, *per fidem in cordibus nostris*. η) Notanter ex veteribus

Ful-

α) Joh. I, 12. β) 1. Joh. III, 1. γ) c. IV, 19. δ) Rom. II, 15. ε) Gal. IV, 4.
ζ) Gal. III, 16. η) Eph. III, 17.

Fulgentius 9): *Deus natus est ex homine, ut ex Deo homines nascerentur. Ideo namque Christus Filius Dei, id est verus Deus & vita aeterna natus est in veritate carnis, ut nos spiritualiter in uno Trinitatis nomine renasceremur in Sacramento Baptismatis. Et quia Deus nasciturus ex utero veritatem carnis accepit, ideo nobis renatis in Baptismo spiritum adoptionis indulget. Ille, quod ex prima nativitate naturae non fuit, secunda nativitate per gratiam factus est, ut nos, quod primae nativitatis beneficio non fuimus, gratia secundae nativitatis effemus.* Ne vero quis existimet, nativitatem Christi externam in carne, per illam nativitatem nostri in spiritu internam, obscurari aut prorsus negari, & rejici, de externa illa carnis nativitate quasdam observationes jam proponemus, internam hanc magis magisque corroborantes. In genere ex sacris litteris 1) sufficienter constat, quomodo summa Dei Majestas in hoc filio suo unigenito, propter nos homines & propter nostram salutem, se humiliaverit, ac e caelo demiserit ad imaginem Dei per lapsum primorum parentum amissam, in nobis restaurandam, & nos in regnum suum reducendos. Frequens etiam hoc ipsum apud antiquos Patres, nec sine maxima divinae bonitatis predicatione usurpatum legitur, cum eorum plerique docent: *factum esse Deum hominem, ut homo fieret Deus i. e. Deo similis.* Audiamus S. Cyprianum 2): *quod homo est, inquit, esse Christus voluit, ut homo possit esse, quod Christus est.* Sic Maximus confessor & martyr 3): *qui sine peccato, ait, factus est homo, Deum faciet hominem; ac tantum propter se ipsum attollet, quantum propter illum sese depresit.* Unde Sophronius Archiepiscopus Hierosolymitanus 4): *Deus in terra agit; & quis in caelum non evadat? Deus e virgine natus in medium prodit: & quis hodie divinus non efficiatur? Quis, quo propius ad eum accedere queat, ad sanctitatem non anhelet, continentiamque alacri animo non complectatur? Deus vilius, abjectis que panniculis involvitur; & quis est, qui si quid forte vile, abjectumque quandoque occurrat, quo divinitatis particeps fiat, obvisis ulvis illud non excipiat? Nec enim alia de causa humana paupertate sese convestivit Deus, quam ut sua nos gratia Deos efficeret. Deus inter nos est, veterem proinde hominem exuit, ipsumque, quoad ejus fieri potest, emulati, divini efficiamur. Celisissimus factus est terrenus; & nos nostrae quoque mentis proposita, animique*

A 2 desi.

9) Libro de Incarnat. & Grat. Christi c. VII. 1) Matth. XX, 18. II. Cor. IIX, 9. Phil. II, 11. Ebr. IV, 15. 2) Lib. de Idolorum vanitate. 3) Cent. I. Capituli Theolog. c. 62. 4) Sermon in Christi Servatoris Natalitia.

25
 26
 27
 28
 29
 30
 31
 32
 33
 34
 35
 36
 37
 38
 39
 40
 41
 42
 43
 44
 45
 46
 47
 48
 49
 50
 51
 52
 53
 54
 55
 56
 57
 58
 59
 60
 61
 62
 63
 64
 65
 66
 67
 68
 69
 70
 71
 72
 73
 74
 75
 76
 77
 78
 79
 80
 81
 82
 83
 84
 85
 86
 87
 88
 89
 90
 91
 92
 93
 94
 95
 96
 97
 98
 99
 100

*desideria sursum subrigamus, divinorumque munerum capaces nos reddere
 studeamus. Plura hujus generis loca Patrum, quæ nobis detegunt cau-
 sas incarnationis Christi, passim reperiuntur, quæ omnes ad interio-
 rem illius vim atque virtutem nos deducunt, ut cum B. Macarius 1) de
 Redemptione a Satana per incarnationem facta scribit: *Satanas & po-
 restas, & princeps tenebrarum, post transgressionem mandati, insederunt cor &
 mentem, & corpus Ade tanquam thronum proprium. Propterea ergo venit
 Dominus, & assumpsit ex virgine corpus. Si enim in sola divinitate descendere
 placuisset, quis potuisset sufferre? Verum per organum corporis loquebatur cum
 hominibus. Quapropter spiritus malitia, qui insidabant corpus, extrusit e
 thronis intellectus & cogitationum, quos inhabitabant; & expurgavit con-
 scientiam Dominus, & sibi thronum paravit mentem, & cogitationes, & corpus.
 Cui succinit Eusebius Gallicanus Episcopus 2): *suscepit virtus excelsa, scri-
 bens, humanitatem nostram, ut tribueret divinitatem suam: suscepit & ani-
 mam & corpus, & quia peccato obnoxius totus homo redimendus erat, totus
 homo adsumitur immolandus. Ac si immensa illa majestas de nostro obtulit
 sacrificium, de suo contulit (victoriæ) præmium. Hac ratione, dicunt
 Veteres, amorem patris in forma humana perditæ hominum vitæ succur-
 rere, hisque filium Dei in assumpta sua humanitate, inque elementari ac
 sensuali corpore, liberum accessum ad Deitatem iterum aperire voluisse,
 quem omnes ii, qui toto corde ac voluntate se eo convertant, reperire ac
 obtinere valeant. Cum enim Deus immortalem illum spiritum homi-
 nis de relinquere nec possit, nec velit, illud potius fieri constituit, quod
 homo nunc est, & per hoc omnes ad istud reducere voluit, quod ipse est.
 Egregie hanc in rem Methodius Episcopus 3): *idcirco per unum hominem
 (Jesum Christum) salutem universorum procuravit: ut homines quidem,
 ubi ita ipsa veritas corporaliter in eos immigrasset, ad formam lumenque verbi
 recurrere valerent, superatis peccati illecebris: Demones vero ab infirmiore
 contemtoque victi, desisterent ab audacia & confidentia, Typhonica ipsorum
 flamma repressa. Cujus enim rei gratia & carnem gessit Dominus Jesus &
 homo factus est: ut per quam carnem Demones superbe Deos ementiti fue-
 rant, animabus compendiosa fraude capitis; per eam dejecti de spectique es-
 sent, ut non Dii. Prohibuit enim altius extolli superbiam ipsorum, factus
 homo; ut per quod corpus, rationis particeps genus a veri Dei cultu alienatum
 per-****

1) Homil. VI. §. 5. 2) Homil. VI. de Pascha. 3) Orat. ad eos qui dicunt: *Quid
 profuit nobis Filius Dei?* ex edit. Jac. Greiseri Tom. II. de Cruce Christi f. 300.

perdidit salutem, per idem ineffabili arte, sapientia verbo suscepto, exitiales hostes esse arguerentur, non benefactores animarum. Hunc scopum palmarium incarnationis communiter etiam Veteres ponunt de carne humana, cur nempe Christus officinam animæ externam, sive corpus lapsi Adami assumeret, & se tam alte demiserit, ut scilicet illud iterum glorificare ac spirituale reddere, & cum æterno Dei spiritu redunire posset. Et hoc interventu animæ Christi factum fuisse dicunt, quam ut mediam inter Deitatem & carnem describunt. Ita enim Gregorius Nazianzenus π): *Spiritualis medicina scopus est, animæ pennas addere ac mundo eam eripere & Deo dare, divinamque imaginem dilapsam in pristinum statum revocare; Christumque per Spiritum Sanctum in pectoris domicilium intromittere: atque, ut summatim dicam, hominem efficere Deum, ac supernæ beatitudinis participem. Huc tendit exinanita Christi Deitas: huc assumpta caro: huc nova illa mixtio, Deus inquam & homo: unum ex utroque & utrumque per unum. Ob hanc causam Deus, animæ interventu, carni junctus est, ac res inter se disjunctæ ac disidentes per interpositæ rei, cum utraque earum, affinitatem & cognationem copulatae sunt. Atque omnia propter omnia, & pro uno illo generis nostri principe (Adamo) in unum coierunt: anima nimirum propter eam, quæ præcepto divino minime paruit: caro propter eam, quæ animæ cupiditati obsecuta est, simulque condemnata. Rem ipsam quod concernit, nempe Dei manifestationem in carne, ut in Sacris litteris expressa legitur, notabiles ejus nonnullas descriptiones ex ore Veterum audiamus. Partum quippe Mariæ miraculorum vocabant μυστέριον γεννητός, mysterium clamoris. Tria inquit Ignatius ρ), sunt mysteria clamoris, quæ in silentio Dei openata sunt (ἐπεφύθη) manifestata vero (τοῖς αἰῶσιν) feculis. Qui locus mirum in modum multos exercuit. Nolo hic repetere, quæ ad eum annotavit Jac. Ulsterius Armachanus. Instar vero commentarii esse possunt, quæ ex libro quodam manu exarato descripsit Isaacus Vosius σ): Tria fuerunt, quæ Diabolum latuerunt: Partus scilicet divinus; Virginitas matris Salvatoris; & Passio Redemptoris. Partus divinus Diabolum latuit, quia ignoravit, quomodo Dei filius in utero Virginis incarnari voluit &c. Dicit porro Justinus Martyr τ): Ob id, qui nostræ causæ apparuit, Christus rationalis (λογικός) ex parte omni factus est corpore, ratione & anima, & per seipsum par nobis in omnibus perfectionibus (ὁμοπαθής) factus.*

A 3

π) Orat. I. T. I edit. Morell. f. II. ρ) Epist. III. ad Ephes. σ) In Notis ad Ignatium p. 174. τ) Aol. I. p. 48. 49.

24
30

24
33

Aut. Vocant etiam Veteres *υ*) Theologiam, ea quæ spectant ad humani-
 tatis assumptionem, & ex natura nostra Dei formationem (θεοπλαστίαν)
 appellant ipsam Domini Jesu incarnationem. Dicunt porro id ipsum
 mysterium ineffabile esse omni sermone, & menti omni inconceptibile, etiam
 primo & antiquissimo Angelo, hoc est, sublimissimo primoque Angelorum or-
 dini modum incarnationis incognitum mansisse. Præterea notanter scri-
 psit Dionysius Areopagita *Φ*) τὸν ὑπερῤῥοιον Ἰησοῦ ἀνθρώπου φύσεως
 ἐκ θεότητος & οὐσιότητος, supersubstantialem Jesum humanæ naturæ veritatibus
 substantiatum esse. Ad quæ verba Dionysii Maximus Confessor atque
 Martyr respexisse videtur, quando scribit *χ*): Deus cum sit supersubstantia-
 lis, & omnem supersubstantialitatem transcendens, quando voluit ad substanti-
 am humanam devenire, modo supersubstantiali substantiam illam induit. Et hanc ob
 causam pro hominibus, ut amans hominum, ex humana substantia vere factus
 est homo. Modus autem quo factus est homo, semper habetur inexplicabilis;
 pro hominibus enim factus est homo. Et paulo post: Majus sane myste-
 rium est, quo pacto substantialiter & secundum hypostasin verbum erat in car-
 ne, qui secundum substantiam & hypostasin totus est apud Patrem. Quo
 pacto idem natura totus est Deus, & secundum naturam totus factus est homo,
 neutra prorsus abnegata natura: divina minime, secundum quam est Deus:
 neque nostra, secundum quam est homo. In Sacris literis hæc inprimis lo-
 cutio reperitur, quod Deus in carne sit manifestatus *ψ*) quod Christus in
 carne (ἐν σαρκί) venerit, ut est in fontibus *ω*) cum hoc addito, quod
 ille sit Anti Christus, qui hoc non confiteatur, unde & pii Veteres hanc locu-
 tionem summo semper cum studio observarunt *α*). Notanter Bernhar-
 dus *β*): sicut ad operandam salutem in medio terre venit semel in carne visibi-
 lis; ita quotidie ad salvandas animas singulorum, in spiritu venit & invi-
 sibilis. Quid vero Spiritus Sanctus innuere voluerit hac phrasi, quæ
 Christum dixit non in carnem, sed in carne venisse, de eo Doctorum quorun-
 dam sententias colligamus. Ex Scriptura sane divinitus inspirata infalli-
 biliter certum est, Christum Abrahæ semen assumpsisse & ex semine Davidis
 secun-

υ) Dionysius Areopagita de Divinis Nominib. c. II. §. 9. confer. Maximus in Schol.
 & Pachymeres in Paraphr. *Φ*) Theol. Mystic. c. III. *χ*) In Capitul. Theol.
 Gent. I de Virt. ac Vit. c. XII & XIII. *ψ*) I. Tim. III. 16. *ω*) I. Jo. IV. 2. 3.
 I. Jo. v. 7. *α*) Polycarpus in Epist. p. 8. edit. Tertullianus de carne Christi c.
 24. Cyprianus Lib. c. Judæos c. 7. Irenæus Lib. III. adv. hæres. c. 18, & c. *β*)
 Serm. I. de Adventu Domini.

secundum carnem natum esse γ). Quod etiam sancti Patres uberius deduxerunt docentes, ipsum ex Maria virgine verum corpus assumpsisse, nec tantum secundum opinionem (δ. κησεί) hominem factum fuisse: nec minus ex Maria vere conceptum & natum esse, & ita nullatenus ὡς Παντασία, καὶ ὑπέρβιον, καὶ ὑπέρνοτον in his terris obambulasse δ). Unde etiam antiquissimi scriptores ecclesiastici efficacissime iis contradicebant, qui in sermone Angeli ad Mariam ε) verba ἐκ σῶ omittebant & sic nativitatem Christi ex utero B. Virginis pessime & maxime erronee inficiabantur. Idem vero Doctores etiam in Scriptura de Christo dici noverant, quod *desuper venerit, ex caelo ad nos descenderit*, & quidem *ut filius hominis in caelis existens ζ)*. Item quod *caro ejus panis verus sit, quem pater coelestis det nobis de caelo η)*. Et quod haec ejus caro ab alia carne terrena, utpote *quae nihil prodest*, distinguatur θ). Ex hisce clarissimis Jesu nostri verbis tantum observari volunt discrimen inter carnem ipsam, quam verbum caro factum ex Maria vere assumpsit, & inter vivificam illam virtutem & qualitatem, a qua assumpta haec caro per obumbrationem Spiritus S. circumdata, efformata & animata quasi fuit. Huc pertinet illud ex D. Ambrosii Hymno: *non ex virili semine, sed mystica spiramine, verbum Dei factum est caro, fructusque ventris floruit*. Qua ratione ipsi veram Christi humanam naturam, quam ex Maria assumpsit, minime negant, aut ullo modo indubium vocant, quin potius efficacissime confirmant, & ut magis gloriosam describere satagunt. Siquidem secundum omnium Doctorum unanimum consensum ex Scriptura certum manet, quod Christus nostram carnem & sanguinem nostrum adsumserit, ac frater noster factus fuerit. Et in hoc sensu non tantum repetunt verba Christi de vera sui humanitate, quod *illa sit panis, qui de caelo descendit ι)*; sed etiam vocant eum τὸν ἐπεφάνησαν ἀνθρώπων *caelestem hominem*, qui semper adhuc in statu glorificationis manifestet se ipsum animabus fidelium, & congregiatur cum ipsis εἰς ἓκὴν κοινωνίαν in unam societatem: item τὸν ἐπεφάνησαν χριστὸν *caelestem Christum*, quem, exuto vetere homine, nos inducere oporteat ex hoc tempore, ut in exultatione constituti,

sic

γ) Joh. VIII, 42. Act. XII, 31. Rom. IX, 5. II. Tim. II, 8. δ) Vide sis Tertullianum L. de Carne Christi c. 18. Ignatium Epist. ad Trallian. Chrysostomum Homil. X. in Joann. p. 73. Irenaeum L. III. adv. Haeres. c. 31. 33. Tertullianum L. IV. c. Marcion. Novatianum L. de Trin. c. 19. (ε) Luc. I, 35. ζ) Joh. III, 13. 31. η) Joh. VI, 31. 33. θ) Ib. v. 63. ι) Gregorius Nazianzenus Orat. XXIV. init.

25
30
35

sic ab eo ducti in summa tranquillitate sumus κ). Perinde ut Paulus λ)
 ipsum vocat secundum hominem de caelo caelestem. Qui juxta Oecumeni-
 um μ) sic appelletur, quod sit totus sublimis & caelestis, μὴ ἀέσιος ὅλος
 καὶ ἁέσιος, totus sublimis & caelestis. Nempe (ut bene Sophronius ν)
 utilitatem hujus observationis expendit) quo nos homines sublimes effice-
 ret Christus, magisque caelestes quam terrenos esse debere ostenderet, e sub-
 limi ad nos viles abiecit & descendit. Totam autem, quae hic occurrit,
 difficultatem ex unionis personalis ratione egregie dissolvit Fulgentius
 Ruspensis Episcopus quando scribit ξ); *Sinon ex conjunctione naturali no-
 men Dei & hominis unitas personalis habet in Christo, consequenter secundus
 homo, quem de caelo caelestem praedicat Paulus, nihil habere naturaliter pute-
 tur ex virgine, & secundum caelestem naturam, caelestis carnis dicatur habere
 substantiam; praesertim quoniam ipse quoque de se Dominus profutur: Ne-
 mo adscendit in caelum, nisi qui de caelo descendit, filius hominis, qui
 est in caelo ο).* Quod si caeleste corpus, & non humanum suscepisse creden-
 dus est Christus; quomodo veritate Davidici Psalmi paticinatio fulciatur, ubi
 scriptum est π): *Vt inhabitet gloria in terra nostra, veritas de terra orta
 est. Christum autem quis negare audeat veritatem, cum ipse se hoc nomine
 nuncuparit, dicens ε): Ego sum via, veritas, & vita: Si veritas igitur de
 terra orta est; quomodo secundus homo de caelo caelestis, nisi quoniam a Dei
 Filio suscepta materies terreni corporis, in caeleste nomen transsit per confor-
 tium Deitatis? Et quomodo rursus Filius hominis descendit de caelo, nisi quia
 Filius Dei non locali motu, sed pietatis descendit affectu? qui sicut in carne
 suscepta ex homine dignatus est nasci, sic pro una Dei suscipientis, & hominis
 suscepti persona, qui Dei Filius erat, dignatus est hominis Filius nuncupari.*
 His ita praesuppositis ex SS. Patrum monumentis, a Nativitate Christi
 corporali semel facta, ad ejus conceptionem ac nativitatem spiritua-
 lem, quae adhuc hodie fit in anima cujuslibet fidelis revertimur, de qua
 notanter Hieronymus σ) *Nolite desperare! quod semel natum est ex Ma-
 ria, quotidie & in nobis nascitur.* Et nostra dabit terra fructum suum: &
 nos possumus parere Christum, si volumus. Adhuc Mariae propinquitatem
 mater-

κ) Macarius Homil. XII. n. 18. & Homil. XIV, n. 3. λ) I. Cor. XV, 47. μ) Com-
 ment. in I. Cor. XV, p. 575. ν) Orat. in Nativ. Domini circa init. ξ) ad
 Trasimund. lib. III, de Sacram. dominic. passionis c. 15. ο) Joh. III, 13.
 π) Psal. XXXIV, 10 12. ζ) Joh. I, 6. ε) Comm. in Psalm. LXXXIV, 17.

maternam nihil profuisse, scribit Augustinus 7) nisi felicius Christum corde quam carae gestasset. Beatiorem ergo Mariam precipiendo fidem Christi, quam concipiendo carnem Christi, fuisse pronuntiat. Idem affirmatur a Leone Magno 8) cum ait: *Virgo regis Davidica stirpis eligitur, quae sacro gravidanda foetu, divinam humanamque prolem prius conspiceret mente, quam corpore.* Jam, uti ex haecenus adductis Veterum locis irrefragabiliter verum atque certum est, quod, per internam & spiritualem nativitatem Christi, corporalis ejus & externa nativitas non aboleatur aut obscuratur, quin potius confirmetur & fructuosa demonstretur; ita haec non tam crasse & secundum solos naturales sensus sive phantasiam contemplationi nostrae est subjicienda. Siquidem, ut Johannes Cassianus sollicitè monet 9): *unamque mens tantum a terrenarum ac materialium rerum contemplatione discedit, quantum eam status sua provexerit puritas, feceritque Jesum, vel humilem adhuc & carneum, vel glorificatum, & in majestatis sua gloria venientem internis obtutibus animae pervideri.* Non enim poterunt Jesum intueri venientem in regno suo, qui adhuc sub illa quodammodo Judaica infirmitate deventi, non quunt discere cum Apostolo: Et, si cognovimus secundum carnem Christum: nunc jam non novimus X. Sed illi soli purissimis oculis divinitatem ipsius speculantur qui de humilibus ac terrenis operibus cogitationum ascendentes cum illo secedunt in excelsa solitudinis monte, qui liber ab omnium terrenarum cogitationum ac perturbationum tumultu, & a cunctorum vitiorum permixtione secretus, fide purissima ac virtutum eminentia sublimatus, gloriam vultus ejus ac claritatis ejus revelat imaginem his, qui merentur cum mundis animae obtutibus intueri. Nec incite, Johannes Taulerus 10) scribit: *Doctrinam de spiritali Christi conceptione tantum intelligi posse ab eo, qui ambulaverit in viis Domini; nequaquam vero ab isto, qui inexercitatos adhuc sensus habeat, & prava totus natura deditus sit: talem enim procul adhuc ab ista nativitate abesse, nec ejus gustum habere.* Unde nunc facile cognosci potest origo & causa contradictionis circa hoc mysterium: cum etiam novitia Christi secundum carnem nihil profutura sit ei, qui ipsum non secundum spiritum, hoc est, spirituales ejus operationes & actus in anima hominis novit. Ad quod omnino requiritur obsequiosa fides & ad Deum conversa voluntas, per quam cor hominis fidelis in be-

B

gni.

7) Lib. de S. Virgine c. III, 8) Serm. II, de Nativit. Christi. 9) Collat. X, cap. 6
10) 1. Cor. V, 16. 17. 11) Conc. Domin. post Festum Nativit. init. p. 114.

24
30
24

nignitatem & humanitatem Dei Salvatoris nostri apparentem ^α), consequenter in novam atque spirituales ejus nativitates penetrare possit. Et in hoc sensu interdum Veteres Doctores admodum bene loquuntur de incarnatione spirituali. Ita enim Hilarius Pictaviensis ^α): *Verbum Deus caro factum est, ut per Deum verbum, carnem factum, caro proficeret in Deum verbum. Ac ne verbum caro factum aut aliquid aliud esset, quam Deus verbum, aut non nostri corporis caro esset, habitavit in nobis: ut dum habitat, non aliud quam Deus maneret; dum autem habitat in nobis, non aliud quam nostra carnis Deus caro factus esset; per dignationem assumpta carnis non inops suorum, quia, tanquam unigenitus a Patre, plenus gratie & veritatis, & in suis perfectus sit, & verus in nostris. Hanc itaque divini Sacramenti doctrinam mens leta suscepit, in Deum proficiens per carnem, & in novam nativitatem per fidem, vocata, & ad caelestem regenerationem obtinendam potestati sue permissa. Huc pertinent versus Aurelii Prudentii ^β):*

*Ille manet quod semper erat: quod non erat, esse
Incipiens: nos quod fuimus jam non sumus, aucti
Nascendo in melius: mihi contulit, & sibi mansit.
Nec DEUS ex nostris minuit sua, sed sua nostris
Dum tribuit, nosmet dona ad caelestia vexit.*

Huic jungi meretur Maximus Confessor & Martyr ^γ): *Deus, ait, omnem notionem transcendit. At nobis, qui cognitione egemus, certe vel ipse λόγος (Filius Dei) quodammodo suus caro, non in se ipso, sed in nobis per carnem peragens mysterium. Alii hoc ineffabile mysterium adhuc pressius describunt per veram communicationem sive participationem carnis JESU cum anima: Essentiam ipsam vitae, ait Nicolaus Cabasilas ^δ), Christus ipsemet praesens, modo quodam, cui explanando verba non reperiuntur, animis nostris serit. Vere enim adest, & principis vivendi (spiritualiter) opem fert, quae ipsemet adventu suo attulit. Adest autem, non ut primum visu, congressu, consuetudine nobiscum communicans: sed alia quadam ratione meliore perfectioreque, secundum quam concorporis, & ejusdem vitae participes, & membra illi evadimus, & si quid aliud eodem pertinet. Ut proinde conjunctio ejus, qua amicis suis devincitur, omnem, quae animo informari, aut nomi-*

^α) Tit. III, 4. ^α) Lib. I. de Trinit. n. 11. 12. ^β) in Psychomachia Pudicit. & Libidin. v. 43-47. ^γ) Capitul. Theol. Cent. IV. c. 15. ^δ) Lib. I. de vita in Christo, Tom. XXVI, Biblioth. Maxim. Lugd. f. 137. 138.

minari potest, conjunctionem post se relinquit: sic item modus, quo adest, & benefacit, admiratione dignus, & facienti mirabilia soli conveniens est. Nec aliter ex recentioribus Theologis de hoc mysterio docuit Lutherus passim, ut cum scribit ϵ): Verbum Dei ($\pi\rho\phi\eta\tau\iota\sigma\iota\varsigma$) non esse ventum aut sonum inanem, sed secum asferre totam essentiam divinae naturae. Item ζ) verbum Dei ($\upsilon\pi\omicron\varsigma\alpha\tau\iota\mu\epsilon\nu$) quod erat in principio apud Deum, imo Deus ipse est, esse nobis vitam, cibum, lucem & salutem. Nec hominem ullam habere lucem, nisi Christum Filium Dei in sua humanitate. Idem Megalander asserit η): gratiam Dei hominem Deiformem reddere & deificare, ut & Scriptura ipsum Dei Filium vocet. Et de Galatis ad verba Pauli θ): donec formetur in vobis Christus scribit ι): Christum in illis spiritualiter natum esse. Lutheri vestigiis insistens Johannes Arndius de fidelibus omnibus in communi docet his verbis κ): Quomodo Christus per Spiritum Sanctum in fide a Maria conceptus & editus fuit; ita idem in me similiter spiritali modo concipi, gigni, crescere & adolescere debet. Et alibi λ): In unione cum Deo tota hominis per defectionem hoc est per ambitionem & philatriam a Deo avulsi, perfectio consistit. Ea propter etiam Filium Dei incarnari oportebat, ut humana natura denuo cum Deo unita, in pristinum unde exciderat locum, & perfectioni primae restitueretur. Sicut enim divina humanaque natura in Christo personaliter sunt unita; ita nos omnes cum Christo per fidem ex gratia uniri oportet, quo summa natura nostra depravatisima corruptela per summum bonum corrigatur. Mitto nunc alios plures ex nostratibus μ), qui per nativitatem Christi spiritualement nihil aliud juxta Scripturam intellexerunt, quam Regenerationem, & novam ex Deo nativitatem, sicuti hoc deduxerunt ex multis scripturae locis ν) & prolixè descripserunt, unusquisque tamen secundum captus sui, quam Deus indulset, mensuram. Sed nunc alio nos vocat pia & erudita Oratio de Fastiis recens nati Salvatoris **JESU CHRISTI**, quam Feria I. Nativitatis, ex suggestu templi Paulini, hymnis at-

B 2

que

α) Kirchen Postille, Predigt in der Christmest p. 105. ζ) Ibid. p. 107. η) Tom. I. Jen. Lat. f. 333. θ) Gal. IV, 19. ι) Tom. IV, Jen. Germ. p. 377. b. Conf. T. I. Jenen. Lat. f. 361. κ) L. I. de V. C. cap. 6. λ) L. II. de V. C. cap. 6. μ) ut sunt Gerhardus Postil. Evang. P. III, p. 166. Hunnius Comm. ad Gal. IV. p. 320. Dietericus Anal. Evang. P. I. p. 76. Nicol. Gallus Postil. Proph. p. 67. Vinkelmannus Comm. in Apoc. p. 228. Jo. Tarnovius Exerc. Bibl. p. 83. Varenus Rettung Arndts. p. 317. sqq. &c. &c. ν) Gal. V, 19. Matth. XII, 49. Gal. III, 27. Eph. III, 4. Jer. XXXI, 20.

W
30
55

que precibus cinctam habebit præstantissimus atque Doctissimus Juvenis
 DN. JOANNES CHRISTIANUS BIEL Brunsvicensis, Theologiae Studiosus maxime industrius. Cui Vos, **UTRIUSQUE REPUBLICÆ PROCERES GRAVISSIMI**, ex sacello Nicolaitano cras tempore consueto progressi, benevolas accommodabitis aures, & quæ vobis, **CIVES RELIQVI** lectissimi, maxime inter *Studiosos Jvenes* nomina professi, reperiundæ salutis vestræ tum spiritualis tum æternæ pignora fasciis his involuta monstrabit elegantissimi oris Orator, devotè nobiscum animo expendetis. Videbitis in humili spectaculo invisibilia, intelligetis latere in tenuibus fasciis, quæ orbis iste suo nunquam ambitu clausisset, nunquam clausurus esset. Recipietis hoc spectaculo imaginem **CHRISTI** in cor vestrum: *Imaginem*, ut Ephrem Syrus loquitur *§*), *non colorum varietate in ligno, aliave materia deformatam; verum illam, quæ per fidem & bona opera, per cogitationes mundas, per bonas actiones & continentiam, per orationes & vigiliis, nec non rerum terrenarum nuditatem, cum lenitate ac vita sancta, omni tempore, pure jugiterque depingitur in animo* P. P. Lipsiæ pridie Festi Natalitiorum,
 A. E. C. M DCC II X.

§) Serm. de Virginitate f. 127.

Litteris CHRISTOPH. FLEISCHERI.

Coll. 62. b. ex Cassiano. V. Regius dial. p. m. 92. 17. 517

61 C 2

10-18

